



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Difficultas ex ipsa morte Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

cārendi auxilijs congruis. Hanc autem esse propriā redemptionem, ostendi disp. 13. §. 98. & 103. Denique venit ad liberandos homines ab actualibus, si in illa laberentur: posito autem peccato actuali, statim illi parantur remedia per Christum, quātum est ex parte Dei. Pro multis autem peccatis ita venisse est certissimum: quia multa essentialiter supponunt non modò Christum, verum etiam & merita, & mortem Christi. Ita intelligo Concilium Toletanum VI. c. i. in 2. tom. Conciliorum, asserēs *Christum venisse ad soluenda culpaꝝ debita, qua per inobedientiam ada originaliter, & nostro libero arbitrio contraximus.* Illa enim solutio intelligitur iuxta hūc triplicem modum redemptionis: igitur nos liberans à necessitate morali peccandi, & impotentia morali seruandi legem, nos redemit à peccatis actualibus.

§. 26. Quarta difficultas: Quia Christus esset venturus, tamen si nullus hominum nasceretur ex Adamo. Huic argumento quid respondendum sit, constat ex disp. 13. §. 80. 81. & 82.

§. 27. Dices: Ergo etiam Christus dependet à peccatis futuris absolutè, etiam si illis sit prior. Nego consequentiam: quia Deus ex animo sincero homines saluandi misit Christum, vt per illum, quantum est ex se, peccata vitarentur seruando totam legem. Quòd si illa legis obseruatio sequeretur, cur non veniret Christus? medium enim non propterea non poneretur, si obtineretur finis per illud intentus: nam sicut hæc numero vocatio, qua modò est sufficiens, potuit esse efficac, quin illa defineret esse, si efficax redderetur: ita voluntas terminata ad eam vocationem, potuit, quantum est ex se, esse de vocatione efficaci. Non disputo vtrum Deus habeat alium actum de permissione peccati, per quem impediretur exercitium istius vocationis & voluntatis circa illam, si futura esset congrua; sed dico id non repugnare, neque ex parte voluntatis, neque ex parte obiecti.

SECTIO V.

Difficultas ex ipsa morte Christi.

§. 28. Quinta difficultas: Multa peccata fuerūt ante Christi merita; quia consummata sunt morte: sed mors fuit illata Christo per grauissima peccata: ergo non fuit Christus ante peccata, & ante homines. Dices Primò: Christicidium fuisse præuisum, antequam homicidæ haberent gratiam per Christum. Deinde, illis datam gratiam per Christum, vt possent eum non occidere. Contrà Primò: Hoc non potest à nobis responderi constituentibus Christum merentem, antequam existat vllus filius Adami. Deinde, si iam videtur peccatum existens, quorsum post præuisionem datur gratia, vt possit non committi? id enim potius esset deridere, quàm auxiliari: vt si homini iam saucio porrigas clypeum, ne vulnus illud excipiat. cum ergo Pharisæi per merita Christi morte consummata habuerint moralem potentiam vincendi illas tentationes; peccatum illud habuit libertatem moralem à sua potentia in actu primo completa moraliter ad illud non faciendum.

§. 29. Dices Secundò, Christo propositam fuisse mortem vagè & confusè ab hominibus indeterminatis, & per illam acceptatam datam fuisse gratiā

Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

his numero hominibus, vt moraliter possent illam non inferre. Contrà: Quia nullus homo particularis aut indeterminatus existit ante Christum præter primos duos parentes. & contra has vagas existencias agerur infra. Deinde illi homines vagè considerati habuerunt potentiam moralem per Christum ad victoriam illarum tentationum: ergo ante illa peccata erat mors & meritum Christi, quod videtur impossibile. vel aliqui homines in communi non habuerunt potentiam moralem ad vincendas omnes illas tentationes, vel eam habuerunt, & non per Christum. quorum vtrumque est falsum.

§. 30. Dices Tertio, Christo propositam mortem abstractam à peccato: quia separatio corporis & animi, item & dolores, sunt indifferentes, vt contingant cum peccato; & sine illo, quam sic acceptauit; ex qua acceptatione & morte data sunt omnibus auxilia sufficientia. Deinde videns Iudeos eis auxilijs abufos, acceptauit mortem ab illis. Hæc doctrina non potest à nobis tradi; quia Christus habuit meritum, antequam vllus homo nasceretur ex Adamo: ergo non meruit per mortem ab illo illatam cum peccato, aut sine illo: nec meruit per mortem illatam à solo Deo. Nec doctrinam hanc arbitror admodum fidei consentientem: quia Scriptura proponit nobis Christum eligentem pro genere humano mortem cum peccatis illatam, ad Hebræos 12. 2. *Qui proposita sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Constituit Apostolus duo proposita Christo, & confusionem mortis, & gaudium de effectu suæ passionis, vt cum Theodor. & alijs Ribera noster exponit. & licet cum Chrysof. & eodem Ribera *gaudium* intelligatur de vitæ immortalis læticia, quam continuò poterat suo corpori communicare, eundem habet sensum: è quibus propter gaudium electorum crucem & confusionem elegit. Et vt Apostolus adimeret licentiam vagandi per mortem, & circumstantias vagas à peccatis abstractas, subdit, *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem:* ac si dicat, *Quam crucem sustinuit, & contempsit confusionem, nisi contradictionem à peccatoribus?* Lyra hæc expendit egregiè: *Confusio hæc appareret ex quatuor: Primò, ex loco; quia in ciuitate celeberrima: Secundo, ex tempore: Tertio, ratione societatis; quia inter latrones passus est: Quarto, ratione precedentis honoris.* Chrysof. & Theophylactus eam contradictionem dicunt esse flagella, & mortem inter latrones tam à Iudæis, quàm Gentilibus. Hæc nequaquam abstrahunt à peccato, & hæc omnia elegit Christus, quando quasi deliberabat de reparando genere humano. Hunc esse sensum Pauli patet ex toto c. 53. *Isaiæ proponentis quo pacto sese Christus obrulerit morti in redemptionem generis humani: Despectum, & nouissimum virorum: liuore eius sanati sumus: de angustia, & de iudicio sublati est: oblati est, qui ipse voluit: pro eo quod laborauit anima eius: pro eo quod tradidit morti animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Ecce vbi nostram salutem adscribit Isaias illi voluntati, qua Christus oblati est quia ipse voluit, & posuit animam suam, id est, vitam, in mortem cum sceleratis, & idcirco vidit semen longæuum. Fuit igitur Christo proposita redemptio hominum, si vitam poneret cum sceleratis. Deinde, quia emundati sumus & sanctificati per proprium sanguinem Christi, Rom. 9. 12. *effusum in cruce: ibi enim ait*

Q. Aposto-

S. Thom.
q. 1. a. 4.

Apóstolus Coloss. 2. 14. deletum esse chirographum decreti; & Isaias nos sanatos liuore eius, & morte despiciatissima cum latronibus. Caue igitur dicas nos sanatos, nisi per crucem, contumelijs & doloribus plenissimam, quæ non fuit sine peccato blasphemantium & crucifigentium.

§. 31. Solutioni fundamentum præbent Patres Vasquez disp. 13. n. 2. 4. & P. Ludou. de la Puente vir doctrina & religione nobilis, olim de litteraria republ. semper autem de Christiana pietate optimè meritus (quem ob insignem sanctitatem miraculis plenam, dignam ob quam adscribatur Sanctorum catalogo, ex mea familia Valmasedanorum nobilium de la Puente natum, non possum actis Deo gratijs non gloriari: ex cuius ore id ego audiui) tom. 1. de Perfect. Christiana tract. 4. cap. 3. meditat. 5. punct. 1. Ad quam præmitto ex B. Thoma infra q. 47. art. 1. corpore. Christum non modò affectiue se habuisse circa passionem, sed etiam vt causam indirectam non impediendo eam, cum posset. addo ego eam etiam acceptando, cum posset non acceptare. pono item ex q. 48. art. 1. ad 1. passionem non fuisse meritoriam, nisi vt sustentata voluntariè: & sicut nos cum elicimus actionem aliquam externam eleemosynæ, prius natura quàm eam eliciamus, habemus liberam voluntatem eam eliciendi; meritum autem essentialè iam est ante actum exteriorè: quia ratio formalis merendi consistit in solo actu interiori. Dicimur autem mereri actu exteriori, in quantum est obiectum interioris: quando verò exercetur actus exterior, tunc dicimur mereri per illum, non quòd ille, aut meritum formaliter augeat, aut sit ratio merendi; sed quia ex illo, & interiori consummatur actus eleemosynæ. Et quia tunc durat actus interior imperans exteriorè, idèò dicimur mereri actu exteriori eleemosynæ, cum tamen meritum sit natura prius actu exteriori, deturque præmium saltem simul natura cum exercitio actus exterioris.

§. 32. Ita Christo primo instanti, quo anima intelligitur infusa in corpus, proposuit Deus totum vitæ cursum à conceptione vsque ad mortem cum omnibus doloribus, blasphemijs, cæterisque ludibrijs, quibus illum consecit; hac lege, vt, si eligeret vitam immortalem, illa potiretur, sed perituri essent omnes homines (exceptà Marià, si eam eligeret matrem); si verò vellet illos saluos fieri, id erat præstandum offerendo se illis laboribus perferendis. vel si pactum non admittas, Christus ex præcepto Dei se obtulit omnibus illis laboribus, quantum est ex parte sui non resistendo, nec fugiendo occasiones mortis, vt pro illis laboribus impetraret hominibus auxilia. Hic actus fuit natura prior mortis exercita; & in illo priori habet totum meritum. Præmium autem fuerunt in parte auxilia efficacia data Adamo, quibus liberos suscepit per actus bonos: item auxilia sufficientia data Deicidis ex sincero animo, ne Christum occiderent: eis autem abusi illum occiderunt. Mors hæc illata posterior est acceptatione Christi, & peccatis Pharisæorum, & omnibus alijs, à quibus pendet, non verò peccatis illis, à quibus non pendet. Hæc autem fieri potuisse patet: quia rectè possum ego præstò esse ad acceptandam mortem, & non fugiendas occasiones illius, si Antichristus nondum existens velit mihi eam inferre, quando extiterit. Item hoc animo possum illi impetrare auxilia, quibus possit me non

occidere. Et Christus impetrauit Pharisæis multa auxilia efficacia, propter quæ paucioribus aut remissioribus peccatis eum occiderunt. Neque arbitrator labyrinthum hunc posse aliter repedari.

§. 33. Obijcis Primò: Ergo Christus non actu absoluto, sed conditionato nobis meruit. Respondeo, Christum non potuisse velle suam mortem actu efficaci, quia cum peccato erat inferenda; sed tantum potuit sibi complacere in doloribus ipsis pro nostra salute perferendis: potuitque habere actum non refugendi, neque impediendi occasiones illius, siue actu eam acceptandi, quantum erat ex se, vt contigit Martyribus: hoc enim actu illi fuit voluntaria, idque durauit toto vitæ decursu, quo passio & tota vita fuit meritoria, propter quem actum toto hoc tempore præsum Deum salutem prouidit humanæ: illatos etiam dolores acceptauit animo libenti, & obrulit Patri in cruce saginatus lacrymis, & clamore valido. Hic actus fuit absolutus, quia erat de obiecto existente prius ratione.

§. 34. Obijcis Secundò: Ergo mors realiter obita non fuit meritoria. Respondeo, mortem in facto esse, & quæ post illam fuerit facta, non fuisse nobis meritoria: quia voluntas Christi pro eo tempore non fuit visa in statu merendi. Vt autem actio exterior dicatur absolute meritoria, opus est vt quo instanti exercetur, sit voluntaria à voluntate in statu merendi. Fuit quidem meritorius actus, quo Christus ea acceptauit pro toto tempore præcedente mortem, non tamen pro tempore mortis ipsius, antequam consummata sunt omnia merita; & sic absolute exterior mors non fuit meritoria. Passio autem aut mors in fieri fuit absolute meritoria: quia quo instanti realiter & exteriorè exercebatur, erat voluntaria voluntate pro tunc præuisa in statu merendi: nihil autem refert, totum meritum formaliter consistere in actu interiori pro illo signo rationis, quo antecedit exteriorè, vt dixi §. 31. Vide B. Thom. q. 50. art. 6.

§. 35. Obijcis Tertio: Ergo Christus potuit non pati realiter, postquam meruit per illos actus. Distinguo consequens. Potuit quidem consideratà naturà illorum actuum; non potuit tamen factà suppositione scientiæ mediæ, & voluntatis Dei dandi Pharisæis auxilia sufficientia tantum: Christus autem quando animo hausit labores illos, tam certus erat suæ mortis, si eam acceptaret, quàm si oppositum esset simpliciter impossibile. Quòd si non moreretur, adhuc mereretur nobis sanguine effuso, & passione obita, quantum erat ex parte sui, siue in affectu. Nec verò minueretur meritum, si à principio extrinseco impediretur mortis illatio, sicut Abrahamo non fuit imminutum meritum de sacrificio filij, sed reputatum est illi ad iustitiam.

§. 36. Obijcis Quarto: Ergo Christus vnum solum actum meritorium habuit nobis. Nego consequentiam: Christus enim vno actu se obtulit passioni, alijs autem proposuit bene operari pro salute hominum pro circumstantijs occurrentibus. Quibus positis absolute exercuit alios actus meritorios, quibus nostræ salutis profecit, & quibus potuit impetrare veniam peccatorum in Christum commissorum: vt de effusione lacrymarum, & oratione pro crucifixionibus affirmari videtur à Paulo Hebr. 5. 7. & pro illis orasse Christum, testis est Lucas c. 23. 34. Est autem difficile assignare, quæ

quæ præmia singulis actibus respondeant: item inuestigare, utrum originale & omnia actualia

sint delata etiam per hos, aut illos. quia hæc maxime pendent ex libera voluntate Dei. S. Thom. q. 2. art. 1.

DISPUTATIO XV.

Utrum unio humanitatis facta sit in natura Dei?

S. Thom. q. 2. a. 1.

SECTIO I. Error Eutychetis.
SECTIO II. Impugnatur hic error.
SECTIO III. Impugnatur alia uniones ad naturam.

SECTIO IV. Examinatur unio physica ad naturam.
SECTIO V. De hac propositione, Natura diuina est incarnata.

§. 1. **D**ifficultates quas S. Thomas explanat qu. 2. sunt maxime vicinae his, quæ explicantur qu. 3. ob quod ipsdem licij erant texendæ: eas tamen diuidam morem gerens lecturis, qui difficultates certis in locis inquirunt.

§. 2. Animaduerte unionem fieri in natura Dei, & fieri vnã naturam ex duabus vnitis, idem esse realiter, ut S. Anselmus obseruat lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Quia si vnione destruantur illæ naturæ, resultat tertia, quæ est formaliter vna: ut lapis & quoduis mixtum resultat ex elementis. Si verò vtraque natura vnione perseuerat, manet quidem vna natura composita ex duabus: composita quidem, quia est per vnionem realem duarum; vna verò, quia per vnionem est indiuisa. quæ est ratio formalis vnus. Quapropter qui assereret vnionem in natura factam, assereret consequenter ex duabus naturis fieri vnã: ut fit humanitas ex corpore & anima; nisi quòd corpus & animus sunt naturæ incompletæ.

SECTIO I.

Error Eutychetis.

§. 3. **E**utyches errauit variè more hæreticorum fluctuantium absque rudentibus & anchoris. Primum, censuit Christum non fuisse verum hominem cõsubstantialia Mariæ; sed assumptum à Deo corpus cæleste, quod ex Maria non fuit natum, sed traiecit per eius alueum more aquæ defluentis per canales. Quem errorem illi adscribit Beda in cap. 11. Lucae lib. 4. cap. 49. secutus veteres ferè omnes: quos imitatus est Baronius tom. 6. anno 448. n. 23. id probans ex Liberato & alijs. Eundem secutus errorem Valentinus apud P. Valentiam disp. 1. q. 2. puncto 1. vers. *Secundus error.*

§. 4. P. Vasquez disp. 14. nu. 4. secutus Alfonso Castrium de Hæresibus, verbo *Christus*, hæresi 4. existimat sensisse Eutychetem, in Christo esse quidem duas naturas realiter & formaliter per vnionem seu compositionem, quam ille mixtionem appellabat; illas autem non esse dicendas duas naturas, sed vnã, eamque diuinam: cui comparata humana non mimeretur nomen naturæ.

§. 5. Existimo alium fuisse Eutychetis errorem: nempe post mixtionem naturam diuinam priorem & humanam ita fuisse confusas, ut ex illis euanescentibus constaretur tertia quedam natura diuina, quæ operabatur & patiebatur in Christo. Existimauit hæreticus hanc mixtionem similem his quæ eueniunt corporibus mistis: in quibus mixtilia manent confusa absque proprietatibus & operationibus proprijs, ignis enim & alia elementa non manent in lapide actu atque distincta, sed ex quatuor elementis alteratis & transmutatis fit lapis.

§. 6. Hunc fuisse Eutychetis errorem, censuere Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 3. de Christo *Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.*

c. 2. P. Valent. disp. 1. q. 2. puncto 1. vers. *Tertius error.* P. Suarez disp. 7. lect. 2. in initio huic ad stipulatur, quamuis vers. *Secundo modo*, inclinetur ad asserendum, censuisse Eutychetem vnitatem naturæ resultasse ex conuersione humanitatis in diuinitatem, manente diuinitate priori, & humanitate consumptâ. at certè sensit Eutychetem nõ reliquisse in Christo duas naturas, sed vnã. Item vers. *Quarto modo*, eam Castrij sententiam impugnat. lege auctores quos hi tres PP. adducunt.

§. 7. Colligitur clarè ex Liberato Diacono c. 11. (est in 1. tom. Conciliorum) his verbis: *Prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum cõsubstantialia nobis non esse secundum carnem; sed de celo corpus habuisse. Rursum varians dicebat, ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vnã factam esse.* Theodoretus lib. 4. Hæreticarum fabularum fine, ait: *Dicebat enim Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conuersum & carnem factum (ut ridiculis eius vtrar verbis) solùm per Virginem traiecissee.* Et quidem S. Leo in epistolis ea de re tum ad Episcopos, tum ad Conciliũ Chalcedonense; id testatur apertè: quas hi adducunt auctores: adde sermonem 7. de Natiuit. Domini: *In vtraque ergo natura idem est Dei filius, nostra suscipiens, & propria non amittens; in homine hominem renouans, in se incommutabilis perseuerans: deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentia subijt, nec Dei formam serui forma violauit: quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non deslitit.* Quibus rugit Leo in duos lupos; alterum Nestorium negantem esse eundem filium Dei, & filium hominis; in quem sunt prima verba adducti testimonij; alterum Eutychetem, negantem duas naturas in Christo. Asserit autè Leo esse in Christo & diuina & nostra, nec diuinitatem commutatam in aliud, sed in suis perseuerare. Baronius tom. 6. anno 448.